



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Infirmitas coporalis vtî accipienda sit: qua[m] patientissime Sancti  
quiq[ue] passi sint: vt animæ prosit, infirmitas corporis: afflictiones vt sint  
refrigeria: locus vt ex tentatione aut ægritudine ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

nec cum vxore Lor respiciendo, progrediamur. Scriberem plura mi frater, sed intelligenti pauca sufficiunt. Vale in Christo.

*Infirmitas corporalis vti accipienda sit: quàm patientissimè Sancti quiq; in hoc seculo passi sint: vt anima proficiat infirmitas corporis: afflictiones vt sint refrigeria: locum vt exultatione aut aegritudine non sit mutandus.*

*Epistola XXXIV.*

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIVS, CARTHVS.  
fratri Engelberto Carthusiæ Treuericæ alumno, socium fieri Christi consolationum, sicut & passionum.

**A**Ccepi literas tuas, dilecte frater Engelberte, quibus & corporis & spiritus tui afflictionem satis intellexi, & condolui. cogitas tamen quod infirmitas ista non est tibi ad mortem, sed incedere faciens per viam, qua omnes qui Deo placuerunt similiter præcesserunt, & per angustiam quæ ante te est portam intrare compelles de illorū te arbitratus sum numero, quibus in Apocal. Dominus dicit: *Ego quos amo arguo & castigo.* Quapropter dilecte frater vt infirmitas tua tolerata videatur facilior: meminisse semper debes diuinæ prædestinationis & prouidentia, sine qua ne vnus passer cadit in terram, quæ absque dubio circa te geritur, disponeus tibi, quæ salutis tuæ vtiliora sunt & viciniora, castigans & consolans te, quando & quantum expedit, non quantum placet. Vnde & quidam senex (quem in vitis Patrum habes) dixisse legitur: Si te occupauerit infirmitas corporis, noli pusillanimis fieri: quia si te Dominus Deus vult corpore debilem fieri, quis es qui sic molestè suscipias? Nonne ipse pro te cogitat de omnibus: Nunquid sine ipso viuus?

Iudit. 3.  
Matt. 7.  
Luc. 1.

Apo. 17.  
Matt. 19.

Infirmitas  
corporis vt  
sit accipienda

Sancti quā  
libenter cor-  
poris egro-  
tationem  
tulerint.  
2. Cor. 12.  
Gregor.

Quantum  
probit ani-  
ma corpo-  
ris languo-  
res.

Electi oēs  
vt affligan-  
tur.  
Iudit. 8.

Patenter ergo fer, & roga eum, vt donet tibi quæ expedit: hoc est, quod voluntas ipsius est, facias. Hinc alius quidam consueta se cernens infirmitate non visitari, pauens à Deo se querulabatur derelictum. Sciebat enim per experientiam illud Apostolicum, Virtutem scilicet, infirmitate perfici. Propterea etiam Gregorius dicit de Salomone, quod ipsius cor idcirco sapientiam deseruit, quoniam eum nulla exterius disciplina custodiuit. Hoc non ignorabat magnus ille eremita Ioannes in Aegypto: qui fratri cuidam febre tertiana grauissimè vexato, vt eum curaret rogatus, sic fertur respondisse: Rem tibi necessariam cupis abijcere. Vt enim corpora nitro, vel alijs huiusmodi lineamentis abluuntur à sordibus, ita animæ languoribus alijsq; huiusmodi castigationibus purificantur. Hinc laudatur alius quidam: qui dum precibus sanitatem, vt petijt, intercessionem sancti Martyris obtinuerat, contra diuinam prouidentiam quid postulasse se metuens, orauit, si infirmitas sibi pristina foret expediens, eiusdem Martyris merito vt fuerat, reueteretur. Quod & factum est.

Accedit autem ad consolationem tuam quod non solum multi, sed omnes qui ad regnum Dei peruenerunt, in camino tribulationis probati per iterationis & passionis transferunt. Quod castissima Iudith intelligens, filios Israel ad patientiam & fidē, cum essent ab inimicis obsessi, adponebat, dicens post

post multa: Pater noster Abraham tentatus, & per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Quos etiam ille, qui in infirmitatibus suis gloriabatur, eo quod tunc potens erat, quibus non solum ligari sed & mori paratus erat pro nomine Iesu commendans, dum quæ passi fuerant recensuisset, quosdam commemorans seetos, quosdam lapidatos, alios occisos gladio, alios fame & angustia cruciatos, demum concludit: *Quibus dignus non erat mundus.* Unde beatus Gregorius in tertio moralium, Deus (inquit) foras usque ad despecta deiecit, quos intus vsque ad incorruptibilia perducit. Et alibi: quanto quisque altius profecerit, tanto in hoc mundo inuenit, quod durius portet: quia cum à presenti seculo, mentis nostræ delectatio deficit, eiusdem seculi aduersitas crescit. Hinc est enim, quod plerisque cernimus & bona agere, & tamen sub graui tribulationum saepe desudare. Terrena namque desideria fugiunt, & tamen flagellis durioribus fatigantur: sed cum patienter & humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur.

Si quis ergo appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare: ut tanto post ad iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat. *Exemplum* (inquit Iacobus Apostolus) accipite fratres, laboris & patientiæ prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Sed veniat quæro tibi in mentem afflictio Alius Seruuli & beatæ Romulæ (de quibus habes Gregorium in homelijs) & beati Francisci, qui durissimis anxietatis doloribus angustias suas non pœnarum, sed sororum nomine appellabat: quibus etiam dum quadum vice grauius solito vrgeretur, licet totus esset languoris prolixitate attritus, proiciens se in terram debilia ossa duro casu collisit, & deosculans humum: Gratias, inquit, ago tibi Domine Deus de omnibus doloribus meis, te quæ mi Domine rogo, ut centuplum (si tibi placuerit) addas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio super plena.

Non credo etiam te ignorare de beatissimo patre nostro Dominico patris nostri & domini vsque monacho, quantis tentationum & infirmitatibus angustijs purgatus, quantas etiam postmodum secundum multitudinem dolorum tuorum susceperit consolationes. Legitur quoque de beatissima Catharina Senensium excellentissimæ sanctitatis virgine, quod dum quadam vice à Domino fortitudinis donum sibi dari instantius postularet, volens eam Dominus exaudire, tali prius informatione commonuit. Filia, inquit, si vis virtutem fortitudinis acquirere oportet te me imitari. Ego enim licet possem virtute diuina potestates aereas annihilare nedum superare, & aliam viam tenere vincendi, tamen per humanos actus meos volens exemplum dare, non nisi per viam crucis volui ipsas vincere: ut vos factitio sermone docerem, quod si fortes vultis esse ad vincendum omnem potestatem hostilem, crucem accipiat pro refrigerio vestro, sicut & ego feci: qui secundum Apostolum meum Paulum, *proposito mihi gaudio, sustinui crucem, confusione conempta.* Oportet ergo passiones & afflictiones non solum patienter portare, sed pro refrigerio amplectari & optare. Et verè refrigeria sunt, quia quanto

Y

magis

Vitia vt plenissime extinguantur. Iacob. 5.

Gregor. Mira B. Francisci patientia.

D. Dominicus Carthus. Psal 93. S. Catharina Senensis.

Cur per crucis viam Christus diabolum vincere voluerit. Heb. 12.

Afflictiones  
vt sint refri-  
geria.  
Rom. 8.

Afflictos  
quid conso-  
lectus.

Esaï. 59.

Vt morbis  
humana  
sint remedia  
adhibeada.

S. Enclyctice  
memoran-  
da sententia.

magis patimini pro me, tanto magis conformes mihi efficiemini. Et quanto magis mihi conformamini in passionibus, tanto magis (secundum doctrinam Apostoli mei Pauli) mihi in gratia & gloria eritis conformes. Accipite igitur filia, amara pro dulcibus, & dulcia pro amaris propter me, nec quicquam dubites, quia contra omnia fortis eris. Quod illa non surda aure percipiens, ex tunc in mente sua fortiter fixit in tribulationibus delectari. Et prout testante eius confessore, qui vitam illius innocentissimæ virginis scripsit, in confessione secreto reuelauit, nulla res exterior eam tantum in hac vita refrigerabat, quantum tribulationes & passiones, sine quibus impatientissimè steterat in corpore, sed propter has sustinendas lubenter portabat celestis coronæ dilationem quia sciebat quod per illas continuè augebatur in cælis. Hæc pauca dulcissime frater, non quasi docendo, sed legenti & scienti talia commemorando potius inserui, vt alijs similibus, quibus omnes scripturæ plenæ sunt, confortatus, non sis nimium pusillanimis circa promissionem Dei, quasi manus illius abbreviata sit, vt in loco ab æterno tibi præordinato, & ad quem sola eius bonitas vocauit & confirmauit, non possit (si voluerit) te sanare.

Admiror valde, quò in hanc tentationem corruistis, vt propter exiguum spem incertæ sanitatis, locum vestrum (vbi stabilitatem, & perseverantiam tam solenni professione promisistis) cupiatis dimittere, simul & perseverantiæ fructum perdere. Requirenda sunt certè remedia infirmitatis, & humana (ne Deus tentari videatur) auxilia admittenda, sed quæ cum cuiusq; status conditio & professio (quæ decet non obliuisci) congruenter admittit, & quantum sine aliorum scandalo fieri potest. Quomodo quæso talis mutatio non credit in scandalum & ruinam multorum, qui de te murmurantes (& forsitan sceleris iuste) instabilitatis & impatientiæ te arguent? Quæ quidem instabilitas etiam alijs, licet minori vrgeantur necessitate, animum præstabit & exemplum se transferendi ad id quod nesciunt, amittentes certum fructum perseverantiæ, qui seruabatur illis in cælis, pro incertæ sanitatis consolatiuncula, de qua adhuc dubitatur in terris. Audiatis sanctam Enclyctycen: quæ licet fuerit mulier corpore, cor tamen gerebat virile: audiatis, quid dixerit. Si in monasterio cum alijs conuersaris, non mutes locum. Læderis enim omnino, si facias hoc. Etenim si gallina dereliquerit oua sua fota, sine pullis ea exire faciet, ita monachus vel virgo frigescit & mortificatur in fide de loco ad locum traieundo. Allegas saniozem seu puriorem aerem nobiscum, & cetera huiusmodi quæ si dilecte mi, te iuuarent, quomodo non & nostros iuuarent monachos, quorum pene media pars infirmatur? Nec desunt nobis, qui eadem laborant tentatione, qua & tu, sub alio boni prætextu cupientes alibi se transferri. Sed Physicis tandem corporum consilia medicorum animæ præferentes, manum Domini patienter expectant. Crediderunt enim consilio antiquorum philosophorum (sanctos in Aegypto & Thebaidibus loquor) qui inter cetera de remedijs tentationum disputantes, hoc quoque nobis reliquisse scribuntur, quod & tu vtinam audiendo credas: Si (inquit) tibi contigerit tentatio in loco in quo habitas, non deseras locum in tempore tentationis: quod si deserueris, quocumque perrexeris, ante inuenies quod fugiebas: sed patiens esto donec tentatio transeat, ne discessio tua

3. VI  
16

alijs scandalum fiat, & ne forte alijs qui circa ipsum locum habitant tribulationem ingerat. Simile aliquid dicit Seneca: Si vis ista quibus vrgeris effugere, oportet non vt alibi sis, sed alius. Propterea, dilectissime Engelberte, resignes te in manus omnipotentis Dei, cui absque dubio cura est de te: nam ipse solus laborem & dolorem vestrum considerat, qui & omnibus iuxta est qui tribulato sunt corde: ipse vobiscum faciet quod expediet. Si utilis est sanitas tibi, perseuera in loco in quem Dominus te posuit, & propter perseuerantiam ac longanimitatem tuam indubiè Dominus te curabit. Quod si curari tibi non expedit, frustra est quocunque pergis, nec vt sic etiam desideranda est sanitas.

Vt ex tentatione non fit locus mutandus. Seneca. Sapie. 6. 1. Pet. 5. Psal. 6. Psal. 33.

Dico iterum, dilecte frater, si Domino placet vt sanitate gaudeatis, ipse vos liberabit. Si non placet, nec locus, nec aer, nec physicorum quorumcunque peritiam te curabit. Scribit Gerson singulariter monachos debere diuinæ inniti prouidentia, eo quod humanis plus auxilijs & proprijs voluntatibus destituti, quasi omnia quæ circa ipsos geruntur ex diuina ordinatione vel superiorum voluntate procedentia suscipere habent. Nihilominus tamen etiam humana debes interim suscipere remedia, quæ ex consilio & voluntate Patris tui in domo tua licitè admitti possunt. Finem verò illorum & effectum sine fructum Deo committere, aliudq; nihil nisi Dei voluntatem in omnibus & desiderare & expectare: quoniam reuera licet ex negligentia tua vel aeris intemperie infirmitas hæc tua tibi acciderit, non tamen sine prouidentia Dei quæ illum locum & loci aerisq; dispositionem ab æterno cognouit & tuam complexionem. Iniuriam igitur tibi fecisse videretur, si ad impossibile vel ad periculum, quod præcisset, te vocasset. Nihil itaque restat, nisi vt modo de necessitate facias virtutem, & Dominus consolabitur tristitiam tuam. Optote semper benè valere in Domino charissime frater.

Ioannes Gerson.

In omnibus Dei sustinenda voluntas.

*Quo pacto Deo in monastico instituto seruiturus, ab abnegatione propria voluntatis, & proprijs sensus captiuatione, per spiritus discretum seruorem incipere debeat.*

*Epistola XXXV.*

E. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS. cuidam probo adolescenti in ordine regularium nouiter professo, pacem optat & monastica religionis quotidianum incrementum.

**C**harissime fili, ex tuis literis iam comperi in monasterio te non fuisse ociosum. Quippe qui cum virtute literas optimè cõiunxisti. Proinde nihil tibi aliud puto commendandum, quam vt in seruore hoc perseueres, bonis inijtjs optimos semper profectus adijtcs Exercitia tua, iuxta consiliũ viri timentis Deũ, salutemq; tuam zelantis moderare, nihil innitens capiti tuo aut sensui, quãdoquidẽ id maximè vult Deus, vt intellectum nostrum captiuemus in obsequium suũ, per puram nostri abnegationem. Feruor tuus mihi perplacet, modo absit discretio, quæ haud melius, imò non aliter ac humilitate, atque obedientia conquiritur. Eundem finem fortiuntur plerumq; indiscretio & ignauia, siue expiditas. Atque idem periculum adducunt aut nihil, aut nimium habuisse

Intellectus noster captiuanus per subiectionẽ. 2. Cor. 10.